QUO SINT MODO ACCIPIENDA QUAE DICTA SUNT

xxxiii. Omnia tamen quae de hinc diligentius expedienda sunt summatim nunc ac breviter attemptamus ut interim
in superficie quadam haec animum lectoris assuefaciant quia ad interiorem scientiam posteriore tractatione
descendet. Nunc vero quod erat pythagoricis in more ut cum quid a magistro pythagora diceretur hinc
nullus rationem petere audebat sed erat eis ratio docentis auctoritas idque fiebat quamdiu discentis animus
firmior et doctrina roboratus ipse earundem rerum rationem nullo etiam docente reperiret. Ita etiam nunc
lectoris fidei quae proponimus commendamus ut arbitretur diapason in dupla diapente in sesqualtera
diatesseron in sesquitertia diapente ac diapason in triplici bisdiapason in quadrupla proportione
consistere. Post vero et ratio diligentius explicabitur et quibus modis aurium quoque iudicio consonantiae
musicae colligantur. Ceteraque omnia quae superius dicta sunt amplior tractatus edisseret ut tonum sesqui
octavam facere proportionem eumque in duo aequa dividi non posse sicut nullam eiusdem generis proporti
onem id est superparticularis. Diatesseron etiam consonantiam duobus tonis semitonioque consistere. Semi
tonia que vero esse duo maius ac minus. Diapente autem tribus tonis ac minore semitonio contineri. Dia
pason autem quinque tonis ac duobus minoribus semitoniis expleri. Neque ad sex tonos ullo modo pervenire.
haec omnia posterius et numerorum ratione et aurium iudicio comprobabo atque haec hactenus

QUID SIT MUSICUS

Nunc illud est intuendum quod omnis ars omnisque etiam disciplina honorabiliorem naturaliter habeat
rationem quam artificium quod manu atque opere exercetur artificis. Multo enim est maius atque auc
tius scire quod quisque faciat quam ipsum illud efficere quod sciat. Etenim artificium corporale quasi ser
viens famulatur. ratio vero quasi domina imperat. Et nisi manus secundum id quod ratio sancit
efficiat frustra sit. Quanto igitur praeclarior est scientia musicae in cognitione rationis quam in o
pere efficiendi atque actu tantum scilicet quantum corpus mente superatur. quod scilicet rationis
expers servitio degit. Illa vero imperat atque ad rectum deducit. Quod nisi eius pareatur imperio
expers opus rationis titubabit. Unde fit ut speculatio rationis operandi actu non egeat. manuum
vero opera nulla sint nisi ratione ducantur. Iam vero quanta sit gloria meritumque rationis hinc
intellegi potest quod ceteri ut ita dicam corporales artifices non ex disciplina sed ex ipsis potius ins
trumentis coepere vocabula. Nam cytharedus ex cythara auloedus ex tibia ceterique suorum
instrumentorum vocabulis nuncupantur. Is vero est musicus qui ratione perpensa canendi scientiam
non servitio operis sed imperio speculationis assumit. Quod scilicet in aedificiorum bellorumque opera
videmus in contraria scilicet nuncupatione vocabuli. Eorum namque nominibus vel aedificia inscribuntur
vel ducuntur triumphi quorum imperio ac ratione instituta sunt non quorum opera servitioque perfecta.